Eminentissime, & Reuerendissime Domine.

Loquamur scriptis, vt de nobis tacitus lector iudicet.
D. Hieronymus lib. 2. Epist. epist. 4.

AVdiuimus fuisse aliqua in Sacra Congregatione contra nos exposita, in quibus, dicitur, non apparere ex integro nostra innocentia; ob quod volumus facta explanare, & eorum fundamenta ante oculos EE.VV. ponere: Vt sic cognita clarius veritate, ipsaque obseruata, & custodita possit intemerata iustitia EE. VV. proferre pro nobis, tot, & tales iniurias patientibus, rectissimum iudicium: quia; *qui custodit veritatem in Sæculum, facit iudicium iniuriam patientibus.* *Psal. 145. vers. 7.*

Primum, in quo asseritur, nos non esse ab omni culpa omninò immunes, est, non admisisse quandam deputationem Iudicis appellationum expeditam à Patre nostro Vicario Generali, munitam cum Censuris, & præcepto, nobisque intimatam. Hoc factum fuit multotiès repetitum, totaque illius difficultas adhoc reducitur: An Pater Vicarius Generalis conformiter ad Statutum Capituli Generalis, iam habens vim Constitutionis, possit deputare Iudicem appellationis Causarum, qui simul sit Præsidens Generalis, & Visitator in Prouincia Castellæ; P. Vicario Generali in Prouincia Betica commorante? Et cum recta, & genuina dictæ difficultatis Decisio ex literali intelligentia ipsiusmet Statuti pendeat, eius litera est in primis præoculis ponenda: quæ sic se habet: *Decernitur etiam: quod hac subsistente alternatiua, & vt multitudo Prælatorum vitetur nullus Commissarius Generalis cum voce, & sede in aliqua Prouinciarum instituatur; Sed P. Vicarius Generalis in qualibet Prouincia, ad quam personaliter non potest accedere, nominare debet Visitatorem Generalem ex Prouincia visitanda, & non ex alia, iuxta formam præscriptam in nostra Constitutione dist. 2. cap. 21.; & secundo conceditur dicto Visitatori Generali sedes, & locus in omnibus Prouinciæ Conuentibus ante Commendatores hospites à die nominationis = similitèr etiam stabilitum est, quod P. Vicarius Generalis in Prouincia, seù in Prouincijs, in quibus non est facilis recursus ad ipsum, nominet per se Iudicem Appellationis Causarum, qui suam iudicaturam exerceat cum eisdem Coniudicibus adiunctis, cum quibus P. Vicarius Generalis in Causarum appellatione concurrit. Et secundo decernitur,*

In Statut. Capituli Generalis vim Constitutionis habentibus dist. 2. fol. 10. num. 24.

tur, quod iudex talis appellationis, qui semper debet esse Visitator, sit liber à iurisdictione ordinaria, tam ipse quam Secretarius ab ipso nominatus.

Prima aduertentia.

Posita iam præoculis litera Statuti, est aduertendum, quod Generalis cuiuscumque Religionis debet habere generalem potestatem in omnibus, in quibus à suis Constitutionibus, & Statutis non limitatur. Sic de P. Vicario Generali nostræ Religionis est dispositum *in nostra Constitutione dist.2. cap.6. Ipse verò* (loquitur de P. Vicario Generali) *in toto Ordine Generalem habeat potestatem: dummodò nostris Constitutionibus non limitetur.*

In Constit. Ord. dist.2. cap.6.

Aduertentia secunda.

Etiam est aduertendum, quod quilibet Superior Generalis est inferior Capitulo Generali; & Capitulum Generale statuere potest restrictionem, & limitationem Iurisdictionis ipsius Generalis: Isteque est obligatus obseruare omnia Statuta in Capitulo emanata. Hæc est vniuersalis omnium Doctorum sententia, in quo distinguunt inter Sanctissimum Dominum Nostrum Papam, respectu Concilij, supra quod Papa habet potestatem; & Generalem respectu Capituli, supra quod Generalis nullam potestatem, immò inferioritatem, & subiectionem habet. Vt videri est in eximio *Suarez tom.4. de Relig. tractat.10. libr.10. cap.4., Lezan. in Summa tom.2. capit.13. num.12.*, & in omnibus Authoribus communiter. Et circa nostrum Vicarium Generalem est expressum in nostris Constitutionibus habere talem subiectionem respectu Capituli, esseque obligatum obseruare omnia Statuta tàm in Capitulo Generali, quàm in Prouinciali Capitulo disposita, vt constat *in eadem distinctione, & capite supra citatis*, ibi = *Exequi tamen teneatur, quæ in eo,* (idest in Diffinitorio Capituli) *fuerint determinata: & adstringatur etiam seruare, quæcumque per Præsidentes Capituli Prouincialis, simul cum Diffinitorio Statuta fuerint.* Et talis Vicarij Generalis obligatio obseruandi Statuta; non solùm prouenit ex obligatione communi, quæ residet in Religiosis omnibus: sed etiam prouenit ex obligatione peculiari, proueniente ex iuramento ab ipso Vicario Generali facto: Iste enim immediatè post suam electionem, & antequam Religiosi Subditi ei obedientiam præstent, debet facere, & semper facit iuramentum per Deum, Crucem, & Sancta Christi Euangelia obseruandi inuiolabiliter Regulam, & omnia Statuta Religionis, vt constat *in distinct.2. cap.3.*

Adest obligatio in P.V. Generali obseruandi statuta omnia tam Capituli Generalis, quam Prouincialis ex nostra Constit.

Obligatur Vic. Generalis medio iuramento immediate ad suam electionem emisso obseruadi omnia Statuta Religionis.

Primum fundamentum ex quo ostenditur restrictio facultatis P.

His ergo prænotatis, est videndum, an potestas, & facultas Patris Vicarij Generalis sit ita restricta, & limitata in vim præfati Statuti Capituli Generalis, vt careat facultate ad expediendam prædictam nominationem Iudicis appellationum, Visitatoris,

toris, & Præsidentis Generalis? Nobis fuit visum, facultatem Patris Vicarij Generalis limitatam, & restrictam fuisse ad faciendam similem deputationem. Primò, quia mediante tali Statuto, & dispositione legali Capitulum Generale prætendit multitudinem Prælatorum vitare; hanc enim suam intentio ẽ in suis primis exprimit verbis, ibi = *Vt multitudo Prælatorum vitetur*. Quæ multitudo prælatorum vtique non vitatur, si in qualibet Prouincia, à qua P.Vicarius Generalis abest, potest media sua Commissione instituere Præsidentem, Iudicem, & Visitatorem, qui vt talis, sedem, & vocem in Prouincia debet habere, vt ex se clarissimè patet; & consequenter in tali casu frustraneum euadet Statutum: quia cessare debet, suo motiuo, & fine cessante.

Vic. Generalis ad faciendam deputationem iudicis appellationis.

Secundò ostenditur prædicta limitatio facultatis generalitiæ ex clausula immediatè sequenti ipsiusmet Statuti, ibi = *Sed in qualibèt Prouincia ad quam personalitèr non potest accedere, nominare debet &c.*, ergò non in omni Prouincia, sed tantùm in ea ad quam modo non sit possibilis suus accessus, valet talem expedire nominationem. Cum ergò nostra excalceata Familia, tantùm ex tribus Prouincijs componatur, & coalescat, quales duæ sunt in Hispania, Castellana, scilicet, & Betica; & alia, quæ est in Italia, idest Sycula: Quis prudens iudicare, vel dicere poterit; mentem Capituli, vel fuisse per præmissa verba, *ad quam non potest personalitèr accedere*, intelligere quamlibet Prouinciam, in qua Generalis actualiter non degit; vel intelligere de Prouincia Castellæ, & non de Sycula, seù Italica, quando Vicarius Generalis sit in Betica? Vtique nullus, quia similis interprætatio repugnat, & dissonat cum litera Constitutionis, & cum lumine naturali.

Secundum fundamentum.

Tertio, demonstratur eadem restrictio, & limitatio potestatis P. Vicarij Generalis ex alijs verbis eiusdem Statuti, quæ sic se habent: *Similitèr etiam stabilitum est: quod P.Vicarius Generalis in Prouincia, seù in Prouincijs, in quibus non est facilis recursus ad ipsum nominet per se &c.*, in quibus verbis apparet clarissimè, quod in dicta dispositione, Capitulum Generale præ oculis, & in mente habuit, esse Prouincias, inter quas non sit facilis recursus; & Prouincias, inter quas recursus facilis sit; Si enim Capitulum ità non Considerasset, inanè apposuisset illam restrictiuam, *in quibus non est facilis recursus*, quæ quidem dictio pluralis demonstratiua, est limitatiua, & restrictiua ex sua institutione, & natura; Et vt talis ad certos, & determinatos casus limitat, & coarctat. sic habetur *in Leg.46. ff. de legatis* 3., *& in Leg. Omnes Populi num.1. ff. de Iustitia, & Iure*, semperque dicta vox se habet, vt conditio, qua non verificata, dispositio legalis substineri nequit. Sic *Paulus Ca-*

Tertium fundamentum.

 strens.

ſtrenſ. in Leg.Sic tuum 6, num.4. ff. de legatis 1. modo ſic: Sed nequit concipi difficilis, ſeù non facilis recurſus inter Prouincias Hiſpaniæ, quæ ſunt inter ſe contiguæ; & facilis ex iſtis Hiſpaniæ Prouincijs ad Prouinciam Syculam, ſiuè ex iſta ad illas propter maximam diſtantiam intercedentem inter Regnum Siciliæ, & Hiſpaniæ; ergo quia mens Capituli fuit, & eſt, declarare facilitatem recurſus inter Prouincias Caſtellanam, & Beticam; & tantùm difficultatem in recurrendo ex Prouincijs Hiſpaniæ ad Syculam; & ex iſta ad Hiſpanas, & conſequenter, ſi inter Prouincias Hiſpaniæ eſt facilis recurſus, nequit P. Vicarius Generalis, dùm commoratur in vnà ex illis, facere ſimilem deputationem reſpectu alterius ex dictis duabus: quia Statutum illius facultatem reſtringit, & limitat, vt ſimilem deputationem facere non poſſit, niſi in Prouincijs, in quibus non eſt facilis ad eum recurſus: Et cum ſua facultas reddatur in vim Statuti Cauſa limitata, ſolum limitatum poteſt producere effectum; Et cum intra limites dictæ facultatis limitatæ tantùm ſit expreſsè incluſus caſus deputationis, dùm adſit difficultas recurrendi, omnes alij caſus ſub hac legali diſpoſitione non expreſſi, ipſomet Iure manent excluſi: *Incluſio enim vnius eſt expulſio formalis alterius.*

Finis, & motiuũ prædicti Statuti Capituli Generalis detegitur.

Ex iam dictis infertur manifeſtè, quod intentio diſpoſitionis Capitularis fuit limitare in vigorem præfati Statuti facultatem P. Vicarij Generalis, ad hoc, vt facere non poſſet ſimiles deputationes pro ſuo libito reſpectu illius Prouinciæ ad quam erat poſſibilis ſuus acceſſus perſonalis, & ex qua ad ipſum erat facilis recurſus intendens, & habens Capitulum Generale pro fine, & motiuo in tali diſpoſitione Capitulari aliquomodo vitare multitudinem Prælatorum. Cumque non poſſit aliquo cum fundamento, adhùc a pparenti, conſiderari aliqua alia Prouincia intra limites noſtræ Religionis, ad quam P.Vicarius Generalis poſſet perſonalitèr accedere, dum erat in Betica; nec ex qua ad ipſum poſſent Religioſi proceſſati faciliter recurrere in gradu appellationis, niſi noſtra Caſtellana Prouincia; Apparet innegabile, P.Vicarium Generalem habuiſſe ſuam facultatem reſtrictam, & limitatam ad prædictam nominationem Iudicis appellationis, Viſitatoris, & Præſidentis Generalis faciendam; Et ſic cum dicta deputatio expedita fuiſſet abſque debita, & legitima facultate, ipſo Iure, & Facto euaſit nulla, & inanis omninò: *Siquidem, omnis actus abſque expedita, & legitima facultate elicitus, eſt ipſo iure nullus.* Sic omnes Doctores, & inter eos expreſſiſſimè *Fagnanus in Cap. Accepimus num.44. de pactis. Et Caſtropalao de Lege pænali lib.1. cap.5. Et Anguian. de Legib. lib.2. controuerſ.1. num.64.*

Deputatio Iudicis recurſus facta à P.Vic. Generali fuit nulla vtpotè facta ſine facultate.

*num.*64. Et cum etiam indubitatum ſit in omni morali, & legali principio, quod ad hoc, vt obliget aliquod præceptum, ſiuè, vt aliqua Cenſura poſſit ligare, requiritur indiſpenſabiliter Iuriſdictio, & facultas ſufficiens in Superiore præcipiente: Quia aliter, nec eſt verè præceptum, nec eſt legitima comminata, ſiuè fulminata excommunicatio; Non enim ſufficit, Superiorem velle præcipere, ſi aliàs careat poſſe, ſeù facultate. Vt *citatus Fagnanus aſſerit in cap. Super in ordinata* 35. *num.*2. *de præbendis*. Si ergo prædicta deputatio à Patre Vicario Generali expedita, & Prouinciali, & Diffinitoribus cum præcepto, & excommunicatione intimata, fuit ipſo Iure nulla, vtpotè abſque facultate elicita, nulliterque ſub pæna excommunicationis illius admiſſionem præcepit: Quis prudens dicet, quod propter ſuam non admiſſionem fuerunt, & extiterunt Prouincialis, & Diffinitores inobedientes formaliter, & innodati excommunicatione?

Et ſi in vigorē præfati Statuti P.V. Generalis non habebat facultatem, immò habebat expreſſam prohibitionem ad talem deputationem expediendam: qualis poterit recognoſci obligatio in Prouinciali, & Diffinitoribus ad dictam deputationem, ſeù nominationem acceptandam, quamuis præcepto, & excommunicatione munitam, & intimatam? Si Prouincialis, & Diffinitores euidentiſſimè cognoſcunt, eſſe prohibitum à Capitulo Generali, id quod eis P. Vicarius Generalis præcipit; quomodo poſſunt P. Vicario Generali obedientiam præſtare, & Capitulo contrarium præcipienti non obedire? Cum ſit omnibus compertum, quod quando duo Prælati contraria ſimul præcipiunt, eſſe obediendum Supręmo. Et etiam eſt indubitatum, non eſſe obediendum Prælato contra Statuta, & Conſtitutiones præcipienti. *Ex duobus enim* (ait Angelicus Doctor in 2.2. quæſt.104. art.5.) *poteſt contingere, quod Subditus non teneatur ſuo Superiori obedire: vno modo propter præceptum maioris poteſtatis; alio modo non tenetur inferior ſuo Superiori obedire, ſi ei aliquid præcipiat, in quo ei non ſubdatur*. Et quis dicere poterit, aut quod poteſtas Capituli Generalis, non ſit poteſtate Generalis Superior; aut quod in eo, quod Conſtitutionibus, & Statutis Religionis aduerſatur, ſubdatur Religioſus ſuo Prælato: cum apud omnes ſit innegabile oppoſitum? vt in omnibus eſt videndū, imò in hoc eodem articulo in ſolutione ad 3. conſtat ex Angelico Doctore, quod *obedientia præſtita contra Regularem conuerſationem, aut contra profeſſionem regulæ eſſet obedientia imprudens, & illicita*.

Prouincialis, & Diffinitores ſi obediſſent P V. Generali in admiſſione dictæ deputationis, eſſent inobedientes alteri Superiori Supræmo, ſcilicet CapituloGenerali; Et etiam Conſtitutioni, & Statuto.

Sed quamuis iſta doctrina intellecta de quocumque Subdito in particulari, non eſſet ità communis, & clara, & ab omnibus vniuerſaliter admiſſa; adeſt nihilominus aliud principium ad de-

Diffinitores ſunt obligati in conſcientia operari

in defensionem Constitutionum, iuxta sua dictamina, quamuis Superior, velit, aut prǣcipiat contrarium.

demonstrandum, Prouincialem, & Diffinitores fuisse obligatos in conscientia, ad prædictam nominationem Iudicis appellationis non acceptandam: Quia Diffinitores in resolutione omnium, quæ ad suum officium, & ad regimen, & obseruantiam Constitutionum attinet, debent in conscientia suum dictamen, prout eorum coscientia dictat, exprimere: Quamuis cognoscant, eorum sententia esse ægreferenda à Generali, vel ab aliquo alio Superiore; & taliter eis ista obligatio incumbit, quod si aliter fecerint, vel motiuo complacendi Superiorem; vel quia eis ipse Superior grauem metum intulit, non excusantur à culpa lethali: iuxta Sententiam D. Augustini ad Casulanum, relatam à Gratiano in Canone *Quisquis vndecimo qu.3.* ibi = *Quisquis metu cuiuslibèt potestatis veritatem occultat, iram Dei super se prouocat: quia magis timet hominem, quam Deum*. Sic refertur *in Tamburino de iure Abb. tom.3. disput.1. qu. 3., & in Rodriguez quæst. Regul. tom.2. quæst.45. art.4., & seqq. Et Miranda in suo Manuali Prælat. tom.2. quæst.17. concl.1.* asserit; quod ista Sententia est omnium DD. & pro omnibus assignat hoc fundamentum: Quod Diffinitores, quamuis in se sint subditi P.Generalis, in Diffinitorio verò, non vt Subditi, sed vt Assessores, Consiliarij, & Coniudices existunt; Et ■■■ de istorum munere est, non cęco modo obedire, sed quod eorum dictamen, & conscientia dictat, in medium adducere, & pro viribus defendere: & si aliter operantur, & se gerunt, suo muneri, suisque conscientijs non satisfaciunt. Forsan ad istam vniuersalem, & communem doctrinam attendens nostra lex municipalis, non solum supponit hanc liberam facultatem in Deffinitoribus, vt ad exactam obseruantiam Legum, & Constitutionum attendant: sed etiam eis ordinatur, quod si P.Vicarius Generalis in exercitio suæ facultatis aliquo modo excesserit, *eum cum omni reuerentia animaduertant, vel tempore suæ visitationis humilitèr corrigatur in littera Constit. dist.2. cap.6.*

Diffinitores congregati cum Superiore in Diffinitorio, non vt subditi, sed vt Assessores, Coniudices, & Consiliarii debent se gerere.

Instantia, & obiectio, quæ ex aduerso fieri potest.

Sed dices in contrarium: Quod, quamuis dicta doctrina admittatur, vt communis, & vera, loquendo, sicut D.Thomas, & DD. loquuntur, de præcepto Superioris præcipientis in contrauentionem notoriam, & claram legis, Constitutionis, aut Statuti, in quorum fauorem, nec est dubium, nec saltem probabilitas aliqua; minimè verò potest præfata doctrina admitti, quando saltem dubitatur, aut est probabilitas aliqua in fauorem rei præceptæ, aut Superioris præcipientis: quia in tali casu est potius attendendum ad præceptum Superioris, pro quo stare debet possessio. Et hoc saltem euenit in nostro præsenti casu: Dubitatur enim, & est rationabiliter probabile, interuenire difficultatem in recursu faciendo ex Conuentibus prouin-

uinciæ Castellæ ad Conuentus Prouinciæ Beticæ, adhoc vt inferiores Religiosi grauati ab alijs Prælatis, possint faciliter, ad Superiorem Generalem recurrere. Et saltem hæc probabilitas demonstratur ex Decreto S.C., in quo in fauorem P.Vicarij Generalis rescripsit: *licuisse, & licere P.V.Generali deputare Visitatorem, & iudicem recursus ad formam Constitutionum, & actorum Capitularium*. Quo Decreto supposito, nullus absque temeritate, præsumere potest, Sacram Congregationem taliter declarasse, circa speciem in se improbabilem.

In hoc, (meo videri) stare, & consistere potest totale fundamentum istius præsentis difficultatis: Quare ipso deuicto, & tota difficultas vincetur: Potest huic obiectioni multiplex solutio adaptari. Primodicendo: esse sufficiens, quod præceptum, seù res præcepta à P.Vicario Generali, sit probabiliter opposita Statuto, seù dispositioni Capituli Generalis, ad hoc vt illius obedientia obligatoria non sit: quia semper, quod subditus dubitat probabiliter, quod Superior præcipiens excedit in præcepto facultatem suæ iurisdictionis, non tenetur subditus ei obedire. Sic asserunt, quamplurimi grauissimi DD. vt videre est *in Magistro Prado tom.1. Theologiæ Moralis cap. 1. quæst.7., & in Dubal. 2. parte quæst. politic. Moral. quæst.2. dissens.4. n.68., & Soto in relectione 3. quæst.2.* citanturque *Suarez, Sanchez, Castropalao, Nauarr., & alij*. Et aduertunt *PP. Salmaticenses in tom.3. tract.de statu Religioso punct.6.*, Quod subditus probabiliter iudicans, præceptum Superioris hic, & nunc ei non obligare: Et si aliàs cognoscat, Prælatum ei præcipere in vim probabilioris opinionis, potest licitè, & sine fractione voti, ei non obedire. Et citant pro hac Sententia *Sanchez in summa lib. 1. cap. 9. num. 14. Ioannem Sancium, Palaum, Sairum, Nauarrum, Valentiam, Basques Salas, & Antonium à Spiritu Sancto*. *Prima Responsio*

Secundò dici potest ex supra citata doctrina Tamburini, de qua asserit Miranda, esse placitum commune omnium DD. quod Prouincialis, & Deffinitores erant in conscientia obligati ad procedendum, & operandum secundum proprias conscientias,& dictamina, quamuis aliàs P.Vicarius Generalis fuisset in contraria Sententia, & ægrè contra illos se haberet; Et contrarium facientes grauiter peccarent, vt asserunt expresſè præcitati Authores. Et quomodo hoc componi potest, si illi, quando est aliquod dubium; obedire Superiori tenentur? Certè fuisset difficile captu. Et difficilius capi potest, stando, vt stare debemus, nostræ Constitutioni municipali ordinanti in addictione ad caput secundum secundæ distinctionis = *quod* *Responsio Secunda.*

Diffinitores debent iuxtà nostram Constitutionem resoluere dubia, quæ circa leges Municipaes occurrerint.

si aliquod occurrerit dubium circa legem aliquam ad vitam communem, seù Regimen spectantem, instetque occasio tale dubium decidendi, aut legem interpretandi, consulatur P.V. Generalis, si in ea Prouincia adsit, qui cum eiusdem Prouinciæ Diffinitoribus determinet, quid sit agendum. Si autem P.V. Generalis à Prouincia absit, resolutio dubij fiat à Diffinitorio eiusdem Prouinciæ posteaque Superiori Generali mittatur. Ergo dato, & non concesso, quod circa prædictum Statutum iam vim Legis, & Constitutionis habens, esset, seù concipi posset aliquod dubium, hoc, non à P.Vicario Generali, sed à Diffinitorio Prouinciæ erat decidendum: quod certè stare nequit cum obligatione obediendi P.V. Generali sub prædicto dubio præcipienti. Vt primo intuitu apparet.

Ostenditur ab exemplo Diffinitores non teneri obedire Superiori Generali in resolutione cuiuscumque dubij circa legem.

Et vt clarius appareat, ponamus casum, quod in conferentia, & decisione prædicti dubij concurreret cum Deffinitorio ipse P.Vicarius Generalis, qui ad hunc effectum Deffinitorium congregauerat, & in illo Præsidentiam habebat: Et quod vt talis Præsidens, & Superior præciperet Deffinitoribus cum præcepto formali, & sub excommunicationis pœna, quod tale dubium deciderent iuxta votum, & placitum ipsiusmet Vicarij Generalis, quamuis in suis conscientijs Deffinitores contrarium sentirent. Interrogo nunc: erit aliquis sanæ mentis, qui asserat, quod Deffinitores erant in his terminis obligati obedire tali præcepto? & quod non obedire conformando suas resolutiones cum dictamine Superioris, erat inobedientia formalis, & in excommunicationem incurrere? & etiam quod contrarium disputare, seù resoluere, fuisset Deffinitores resoluere, & disputare facultatem, & iurisdictionem P.Vicarij Generalis? Certè vtique nemo hoc dicet: aliàs Deffinitorium esset superfluum, nec haberent Deffinitores in dictis resolutionibus votum consultiuum, & decisiuum liberum, quod vtique habent à Constitutione; *Quia velle non creditur, qui obsequitur Imperio Patris, aut Domini, ff.* de regulis iuris leg.4. nunc sic: cur ergo si in isto casu, cum Generalis est Præsidens illius actus, & vt talis imponit præceptum, non est obligatio ei obtemperandi: potest excogitari obligatio ei obediendi, quando Deffinitorium Prouinciæ legitimè congregatum P.Vicario Generali absente, resoluit, vt debet, dubium circa Statutum, & Constitutionem occurrens?

Efficacissima instantia contra præceptum P.V. Generalis fit.

Est etiam manifesta instantia contra tale præceptum P. Vicarij Generalis supposito dubio, & probabilitate: quia in ista suppositione debemus considerare probabilitatem, sub qua Pater Vicarius Generalis in tali deputatione, & præcepto, non gessit contra Statutum, & Constitutionem; & etiam probabilitatem

tatem oppositam, sub qua cum contrauentione Statuti, & Constitutionis præcepit. Et inquiro: cur sufficiet P. Vicario Generali illa probabilitas, sub qua dictam deputationem ordinauit, vt non sit inobediens Statuto probabiliter prohibenti similem duputationem: Et non sufficiet nobis probabilitas Statuti, sub qua prohibetur similis deputatio, vt non simus inobedientes formalitèr, præcepto, tantum sub alia probabilitate præcipienti; Et maximè cum verius, & securius debeant omnes asserere, quod possessio stat pro Statuto talem deputationem prohibente, quia prout sic fuit semper inuiolabiliter in praxi: quam pro præcepto præcipiente, quod nunquam nec imaginatum fuit. = Et ex hoc assumitur aliud fundamentum ad ostendendum, P. Vicarium Generalem illicitè deputasse talem Iudicem: quia omnibus innegabile est, quod tale Statutum, in quantum prohibitiuum similis deputationis fuit semper vsque adhuc, in obseruantia, & in praxi inalterabili (vt iam latiùs demonstrabimus) & consequenter, prout sic gaudet sua possessione: Sed etiam est principium notissimum omnibus, quod in dubijs standum est legi possidenti, quia melior, & securior est sua conditio: ergo, adhuc admisso tali dubio, nequit P. Vicarius Generalis licitè facere similem deputationem; Et cum aliàs nulla adsit obligatio obtemperandi dispositioni, & præcepto illicito & legi opposito; infertur, nullam fuisse obligationem acceptandi similem deputationem.

Demonstratur Statutum non admittere dubium, nec probabilitatem extrinsecàm, nec intrinsecam.

Sed, vt ne cum aliquo contingenti periculo in via probabilitatis pergamus, aliud securissimum iter assumere debemus, intendentes pro viribus manifestare euidenter omnibus, prædictum Statutum taliter esse clarum sub intelligentia à nobis conceptum, quod nec intrinsicè, nec extrinsice admisit vmquam, nec admittere potest dubium, nec probabilitatem. Quod enim probabilitatem extrinsecam numquam admiserit, clarè constat ex facto concordato, & ab vtraque parte subscripto, in quo, cum de isto delicto agitatur, nullum exemplum assignatur, in quo aliquis Vicarius Generalis à principio Statuti vsque ad præsens, talem deputationem imaginauerit. Et obiter est detegenda falsitas exaduerso asserta in tali facto concordato; Siquidem in §. *Soggionge il P. Vicario Generale*, dicitur, non esse plura exemplaria, quia lex Capitularis circa talem deputationem non habuit vim legis, & Constitutionis, vsque dum illam obtinuit in Capitulo Generali celebrato in anno 1717., & quod antea non aderat obligatio obseruandi tale Statutum. Quia quamuis primum sit verum, scilicet, quod statutum in dicto Capitulo, & non antea, obtinuit vim Constitutionis. Secundum falsissimum est,

Detegitur quædam falsitas posita ab Aduersario in concordia facti.

 quia

quia quis dicere in veritate potest, quod illicò, ac emanat in Capitulo aliquod Statutum, non obliget obseruatio, sicut quælibet alia Constitutio? habere enim vim legis, nihil addit in ordine ad obligationem obseruantiæ; Sed solùm in quantum ad sui derogationem, quia quando vim Constitutionis obtinet, derogari non valet, nisi consentientibus omnibus votis Capituli Generalis. = Et si Subditi non sunt obligati ad obseruantiam Statuti, antequam habeat vim Constitutionis; quomodò nos fuimus processati, carcerati, & grauissimis pœnis sententiati propter meram fractionem Statuti *de non mutuando*, cum tale Statutum adhuc vi Constitutionis non gaudeat?

Ostenditur ex praxi inalterabili defectus probabilitatis intelligentiæ P.V.Generalis.

Probatur etiam carentia probabilitatis ex inalterabili praxi, sub qua semper fuit obseruatum dictum Statutum: Constat enim ex dicto facto concordato, & à partibus subscripto, quod omnes Patres Vicarij Generales, dum in Prouincijs Hispaniæ commorarunt, semper pro Prouincia Sycula similem Iudicis deputationem fecerunt; Et quod nullus illam vnquam fecit pro Prouincia Castellæ, dum commorabatur in Prouincia Betica, nec è contrà. Tantum enim sunt duo exemplaria, in quibus reperitur fuisse factam similem deputationem pro Prouincijs Hispaniæ; Sed iustificatum est, hoc euenisse in duabus occasionibus, in quibus P. Vicarius Generalis secessit ex Hispania, & iter fecit ad Syculam: quia solùm in his casibus difficultas recursus verificabatur. = Et est notatu dignum, quod ab anno 1696., in quo initium habuit Statutum, vsque ad annum 1720., in quo expedita fuit deputatio, de qua est præsens quæstio, tantum fuit factus vnicus recursus in gradu appellationis a quodam Religioso sententiato à Prouinciali, & Deffinitorio Prouinciæ Castellæ; in quo recursu P. Vic. Generalis, qui tunc erat, immediatè à seipso cum Coniudicibus adiunctis tulit suam Sententiam in secunda instantia in Conuentu de Cadiz, qui est in Prouincia Betica; vt ex testimonio originali communicato, & præsentato in Ponentia constat, & hoc certè ità non eueniret, si P. Vicarius Generalis nominare deberet talem Iudicem appellationis pro recursibus Religiosorum Prouinciæ Castellæ, dum ipse Vic. Generalis in Prouincia Betica degebat.

Vnicus casus, in quo fuit factus formalis recursus ab initio Statuti, vsq; ad præsens, in quo recursu facto in Prouincia Castellæ cognouit immediatè à se ipso P.V.Generalis in Prouincia Betica.

Dispositio Capitularis de nominatione Iudicis facienda est præceptiua.

Et roboratur hic discursus, aduertendo: quod dispositio Capitularis ordinans talem deputationem Visitatoris, & Iudicis non est merè facultatiua, sed etiam præceptiua: vt constat clarè ex verbis ipsiusmet Statuti, ibi = *Nominare debet*. Quis ergo credet, quod si Statutum admitteret intelligentiam à P. Vicario Generali nouiter excogitatum, quod omnes sui Antecessores dictum præceptum Statuti non adimpleuissent? Et maxi-

maximè cum illius adimpletio fuisset in commodum, & in maiorem extensionem Generalitiæ facultatis, & Iurisdictionis. = Cum ergo ex iuridico, & legali principio habeamus, *quod optima legum interpres sit consuetudo*, cùmque inalterabilis consuetudo, inuiolabilisque obseruantia sit, & semper fuerit pro dicta nostra intelligentia, & non pro illa exaduerso excogitata: Nemò rationabilitèr dubitare potest in contrarium, obseruantia enim perpetua, & inalterabilis consuetudo, nec minimæ dubitationi relinquit locum. = Statque etiam pro dicta nostra genuina Statuti intelligentia alia extrinseca efficacissima securitas: quia ità accipi debere Statutum, & hunc fuisse sensum Capituli Generalis, declarant expresè quatuor Patres ExDiffinitores Prouinciæ Beticæ, qui fuerunt legis latores istius Statuti in Capitulo illo Generali, in quo vimConstitutionis obtinuit. Vt patet ex suis declarationibus in nostro *Summario num.* 18. = Etiamque id ipsum comprobant nouem Doctores, & Cathedrarum Moderatores ex principalioribus Vniuersitatis Salmanticæ, cum quibus facta fuit consultatio, & quorum fundatissima dictamina fuerunt Parti aduersæ communicata, & sunt in Ponentia.

Comprobatur nostra genuina intelligentia Statuti cum dictaminibus, & declarationibus quatuor ex Diffinitorum Prouinciæ Beticæ, qui fuerunt legislatores Statuti; Et etiam cum dictaminibus nouem DD. Vniuersitatis Salmanticæ.

Nec dicta intelligentia Statuti nouiter excogitata à P. Vicario Generali potest habere aliquam intrinsecam probabilitatem: quia ex dictis euidenter apparet per dictam intelligentiam omnimodè destrui intentionem, & finem dispositionis dicti Statuti: Intenditur enim mediante tali legali dispositione multitudinem Prælatorum in Religione vitare, quæ quidem non vitatur sub dicta intelligentia, vt iam dictum est. Et consequenter sub tali intelligentia illa dispositio Capitularis omninò destruetur, quia tota lex corruit, motiuo, & fine legis corruente. = Etiamque dicta intelligentia P. Vic. Generalis est intrinsecè incompatibilis cum formalibus verbis præfati Statuti: quia vt in limine istius scripti dicebamus, quando Capitulum Generale disponit, quod præfata nominatio tantum fiat à P. Vicario Generali respectu illius Prouinciæ, ad quam non potest personaliter accedere, & ex qua ad ipsum non sit facilis recursus: Necessariò supponit aliquam Prouinciam, ad quam possit faciliter personaliter accedere, & ex qua ad ipsum sit facilis recursus; Oppositum enim nullus erit tam inops mentis, quod stando expressis verbis Statuti excogitare possit. Nec quis dicere audebit, quod pro Prouincia, ad quam possit faciliter personaliter accedere, aut ex qua sit facile ad ipsum P. Vicarium Generalem recurrere debere solum intelligi Prouinciam illam, in qua dictus P. VicariusGeneralis adest? Cum similis inepta excogitatio repellatur ex ipsamet materiali expressione Statuti: Vt omnibus merum grammaticalem sensum callentibus erit clarissimè notum.

Probabilitas intrinseca in data intelligentia à P. Vicario Generali, depellitur.

Ostenditur esse voluntariam difficultatem recursus ex Conuentibus Prouinciæ Castellæ ad Conuentus Prouinciæ Beticæ.

Nec obstat in contrarium ille difficilis recursus voluntariè excogitatus ex aduerso, & de quo asseritur, interuenire inter Conuentus Prouinciæ Castellæ, & Beticæ; quia ad longum est demonstrata in facto concordato distributo maxima facilitas recursus inter prædictos Conuentus. Et certè quando Capitulum Generale hoc disposuit, & decreuit, sciebat benissimè, quod inter Ciuitates Beticæ, & Castellæ est saltem per Epistolas facilissima, securissima, atque promptissima communicatio, quæ certè sufficiens est ac hoc, vt possit Subditus grauatus aliqua diffinitiua sententia a Prouinciali, & Deffinitorio data ad Vic. Generalem per viam appellationis recurrere omni cum breuitate, & securitate, & cum ista præscientia, & in omnibus Capitularibus comperta notitia, ita fuit ordinatum, & dispositum, cui ordinationi Capitulari P.V.Generalis, & omnes debemus stare.

Detegitur æquiuocatio exclamamata ex aduerso ad stabiliendam necessitatem recursus.

Et vt æquiuocatio, cum qua etiam in hoc, sicuti in omnibus prætendit aduersarius mentes confundere, radicitus euellatur, est præ oculis habendum, quod talis visitator, Iudex, & Præsidens Generalis nullam habet, nec exercere potest iurisdictionem, nec in Prælatos, nec in Subditos, nisi in recursu facto in gradu judicialis appellationis alicuius diffinitiuę Sententiæ datæ à Prouinciali, & Diffinitorio; Minimè verò in alijs recursibus extraiudicialibus, qui regulariter se se offerunt; Ad hos enim semper omnes Religiosi ad P. Vic. Generalem immediatè debent recurrere, quando eis videatur, esse grauatos per P. Prouincialem: Non enim est aliquis alius Superior in Religione, qui eis in suis grauaminibus subuenire possit. Quod totum apparebit Clarissimè cuilibet statutum legenti. Et clarius videtur in ipsamet distinctione secunda Actorum Capitularium fol. 15. vbi *statuitur, quod talis iudex, & Visitator tantum habeat iurisdictionem in illo Conuentu, quem actualiter visitat, & intra præcisos dies visitationis à Constitutione antiqua taxatos*, quæ quidem tantum sunt quatuor, aut sex. Ex his videtur quam sine fundamento ab alia parte vociferatur, esse necessariam talem iudicis deputationem, vt faciliter recurrant Religiosi oppressi ad suum Superiorem: Quando rarissimè euenit casus appellationis judicialis formaliter, & tantum in isto casu habet locum ad iudicem appellationis recurrere, sicut de facto ex tempore in quo dictum statutum emanauit vnicus casus prædicti formalis recursus euenit; in quo casu iam supradictum est fuisse appellatum à reo existente in Prouincia Castellę ad V.Generalem existentem in Betica. Et etiàm est sciendum, quod quando facta fuit nominatio iudicis à P. V. Generali (de qua in præsenti) nulla, nec imaginabilis causa fulminata erat contra aliquem Religiosum nostræ Prouinciæ Castellæ.

Iudex recursus, Visitator, & Prę sidens Generalis nullã iurisdictionem habere, nec exercere posset, nisi in Conuentu, in quo actualiter visitaret, & intra præcisos dies visitationis.

Nec

Nec etiam obstat contra nostram principalem doctrinam decretum S.C. in obiectione adductum: Quia in primis dictum decretum fuit consequutum nobis inauditis omnimodè, & medijs sinistris repræsentationibus, & cum citatione Constitutionum antiquarum, quæ non solum non deseruiunt ad præsens, imò per talem dispositionem Capitularem derogantur; Quare non iuxta illarum dispositionem, sed iuxtà datam per istam Constitutionem de nouo stabilitam procedere debemus; Et sic in dicta repræsentatione facta ex aduerso ad extorquendum tale decretum S.C. continebantur vitia obreptionis, & subreptionis; ob quod speramus, quod manifesta falsitate, & veritate cognita ipsamet S. Congregatio cum sua intemerata iustitia in nostrum fauorem resoluat.

Congruæ solutiones adaptantur circa decretum expeditum in S.C. circa talem deputationem iudicis recursus.

Vel dicimus, & forsan fundatius, & melius: Quod talis resolutio, seu rescriptum S.C. Nihil affert in fauorem nominationis factæ à P.V. Generali, siquidem non resoluit positiuè, & absolutè S.C. in dicto suo Decreto, esse licitum Patri V. Generali facere talem nominationem quomodolibet: sed tantum licere, & licuisse ei talem iudicem deputare ad formam Constitutionum, & actorum Capitularium, & ex consequenti in vim eiusdemmet Decreti, S. C. annullat, & vt illicitam declarat Deputationem illam, quæ non seruata dicta præscripta forma fiat, Ex principio enim generali iuridico habetur, quod quilibet actus elicitus non seruata forma à lege præscripta, euadit, & redditur ipso iure nullus. Et etiam quod id, quod lege proibente fit, ipso iure nullum est, *ff. de regulis iuris leg.* 5. Cum ergo totum hoc innegabile sit: Quomodo ex præfato Decreto S.C. argui valet, nec probabilitas, nec positiua securitas ad faciendam similem deputationem iudicis contra expressam formam statuti? Et consequenter absque aliquo fundamento præsumitur probabilitas ex opposito, quia nec illam habet statutum ex se, nec ex præfato Decreto valet deduci.

Ex omnibus dictis conuincitur, quod P.V. Generalis voluit Statutum declarare pro suo libitu in contrarium, cum aliàs in se, in praxi, & apud omnes fuisset clarissimum oppositum: Et simili declarationi Superioris non tenetur subditus obedientiam præstare, sed statutum ipsum simpliciter, & ad literam obseruare sic *Tambur. de iure Abb. tom. primo disp.* 16. *quæst.* 6. *Rodriquez tom. primo quæst. regul. quæst.* 11. *art.* 5. *Peirin. tom. primo constitut.* 13. *fol.* 470., & omnes communiter. Et non sufficit, quod superior dicat, se præcipere ex iuxta Causa, nisi ista explicetur, & vt talis à Subdito cognoscatur sic *Lessius de iust., & iur. lib.* 2. *cap.* 41. *num.* 77. *Dian.* 4. *part. trat.* 3. *respons.* 8. *Ant. à Spiritu Sancto in Directorium Regul.* §. 3. *nu.* 50. *&* 52.

Non tenetur Subditus obedire Superiori declaranti aliquam Constitutionem, seu statutum quando ipsa Constitutio, & statutum manifestant clarè oppositū.

Subditus non tenetur ex vi Voti obedire absolutè Superiori, sed tantum quando ei præcipitur id, quod expressè, vel tacitè continetur in Costitutionibus, iuxta intelligentiam ipsius vouentis.

& 52. *fol. mihi* 110., & citat quamplurimos. Et omnium præcipuum fundamentum est, quia Religiosus ex vi Voti obedientiæ non est obligatus obedire absolutè Superiori præcipienti, sed solum quando præcipit ea, quæ continentur in Constitutionibus expresse, vel tacitè secundum cognitionem, & intentionem vouentis. *Sic D.Th.2. secundæ quæst:*104.*art.*5. *Et in secundo dist.* 44. *quæst.*2. *art.*3. Cum quo, & cum omnibus Patres Tresiani Salmaticenses *tom.* 4. *punct.* 5. *de obiecto obedientiæ pag.*93.

Demonstratur, quod quamuis deputatio iudicis recursus esset legitima authoritate expedita, & cum legitimo præcepto, & censura intimata; nihilominus Prouincialis, & Diffinitores propter sui non admissionem non extitissent, nec inobedientes, nec excommunicati.

Sed vt omnis scrupulus imaginabilis radicitus euellatur, demus, quamuis numquam concedere valeamus, quod talis iudicis deputatio esset legitimè expedita, & cum legitimis præcepto, & censura munita, & Nobis intimata: Nonnè adhuc in isto casu poteramus sindicari, haberi, nec declarari, vt formaliter inobedientes, & innodati censuris comminatis? Certissimè non, quia quid communius inter Theologos, & vtriusque iuris consultos, quam asserere, non sufficere ad inobedientiam formalem, & ad excommunionem contrahendam, non admittere literas Apostolicas præceptiuas, & excommunionem continentes: dummodo cum aliqua rationabili Causa, & interposita supplicatione fiat? videantur *Suárez tom.* 5. *de cens. disp.* 21. *num.* 75. *Rodrig. in sum.*1. *part. cap.* 156. *num.* 8. *Enriq. de Pontif. cap.* 12. §. 2. *Bonac. de cens. tom.* 3. *disp. prima qu.*15. *punct.* 4. §. 2. *Villalob. in sum. tract.* 17. *difficulc.* 21. *Ant. à Spiritu Sancto in Canon.*14.*Bullæ Cœnæ, Prad.tom.primo Theolog. mor. cap.* 3. *quæst.* 6. §. 5. *Martines* 1. *secundæ quæst.* 96. *art.*4. *dub.*8. *Dian.* 1. *part. tract.*10. *resol.*6., qui citans plures alios dicit: Quod repræsentatio, seu supplicatio de legitime Mandato, intimatoque legitimè, quamuis sit Mandatum Sanctissimi suspendit tam Mandatum, quam censuras, si fortè cum eis munitum euadat.

Decisio vtriusque Iuris circa suspensionem cuiuscumque præcepti, & censuræ per repræsentationem alicuius rationabilis causæ, seu per supplicationem interpositam.

Præter tot, & tam Classicos Authores etiam est hæc veritas decisa in vtroqne iure; In ciuili sub lege *nemo Cod. de sent. interloc. omnium iudic.*, *& ibidem Glossa asserit. Suspendi obligationem legis, seu cuiuscumque præcepti cuiuslibet Superioris, quacumque rationabili Causa repræsentata.* Expræssius vero habetur in iure Canonico in *cap. si quando de rescriptis*, vbi alloquens *Alexander* 3. *cum Episcopo Rauen.* sic ait = *Si quando aliqua tuæ fraternitati dirigimus, quæ animum tuum exsperare videntur, turbari non debes*, (& paulò infrà) *qualitatem negotij, pro quo tibi scribitur, diligenter considerans, aut Mandatum nostrum reuerenter adimpleas; aut per literas tuas, quare adimpleri non possis, rationabilem Causam prætendas; quia patienter sustinebimus, si non feceris, quod praua nobis fuerit insinuatione sugestum.* Quid clarius? Et quid, in quantum ad nos attinet,

tinet, proprius. Nos enim nihil aliud gessimus, quando dicta judicis deputatio fuit nobis intimata, nisi ea audita, & intellecta super ea debita conferentia, & matura præuia consultatione habita, respondere: Quod præfatas literas cum omni, quod par erat obsequio venerantes, cogebamur executionē eis non concedere: sed repræsentare prædictam deputationem esse expeditam contra Constitutionem, & statutum Capitulare, & contra obseruantiam, & praxim Religionis. Quæ responsio sub his terminis substantialibus inuenitur in *Summario ex aduerso dato num.* 40.

Et est aduertendum, quod prædicta judicis deputatio tantum in ista occasione fuit intimata Prouinciæ formaliter tali, hoc est, Prouinciali, & Deffinitoribus Congregatis; Aliæ enim notificationes, quæ ad longum in dicto Summario ex aduerso, maximaque cum inuolutione, & confusione referuntur, factæ fuerunt Commendatori, & Vicario Conuentus S. Barbaræ Matritensis, & tribus Deffinitoribus seorsim, qui nullam extra Deffinitorium habebant facultatem, nec ad admittendam, nec ad impediendam similem deputationem; & ideò fuit ab eis data responsio sub tali consideratione; ut videri est in dicto Summario exaduerso. Et quamvis [+ aliter] sse gessissent, semper eorum assensus, aut dissensus evaderet nullus ob notorium facultatis defectum: Quia admissio aut repulsio illa debebat prouenire tantum a Prouincia formaliter tali, quæ Prouincia certè non reperitur, nisi quando Deffinitorium est legitimè congregatum; ut omnibus est compertum. Et sic de primo ad ultimum habemus non esse aliquod principium morale, legale, nec adhuc scrupulosum (si dabile esset tale principium) ex quo dici, aut præsumi possit, nos fuisse formaliter inobedientes, aut innodatos excommunicatione propter non admissionem dictæ ~~admissionis~~ deputationis &c.

Animaduertitur quod talis deputatio judicis tantū unica vice fuit intimata Prouinciali, & Diffinitoribus Congregatis.

Secundum Delictum.

Hoc excogitatum delictum consistit in mutuatione à nobis facta, ex pecuniis seruatis in deposito, & destinatis ad Beatificationem Servæ Dei Marianæ à Iesu, de quibus eramus administratores, veluti Prouincialis, & Diffinitores; Et propter quam mutuationem fuimus processati, & per septuaginta, & unum dies rigorose carcerati, & grauissimis penis sententiati, postquam ab Officiis fuimus depositi, cuius processus fuerunt judices Vicarius Prouincialis, & Diffinitores pro interim positi, In prima instantia, & in secunda P. V. Generalis, & duo Commendatores Conjudices. Nobisque fuit calum-

niata

niata dicta mutuatio, utpotè facta in contrauentionem cuiusdam statuti emanati primo in Capitulo Generali celebrato in anno 1709. Et confirmato in Generali Capitulo habito in anno 1717. quod statutū ad literam sic se habet: *Statuitur etiam: quod omnia bona, pecuniæ scilicet, Elemosinæ, fructus, aut redditus, radicuum, aut Capitalium, quæ in unaquaque Provincia pertinent, tam de præsenti quam de futuro ad Beatificationes, seu Canonizationes cuiuslibet Servi, aut Seruæ Dei, & etiam cuiuscumque Memoriæ, seu operis pii non possint à solis Prouincialibus administrari, custodiri, expendi, vel cum ipsis aliquid emi, aut ad fructificandum censualiter imponi; sed in deposito tribus clauibus clauso custodiantur, quarum unam habeat Pater Prouincialis, alias vero duas duo Patres Deffinitores antiquiores. Ad expendendum autem, emendum, aut imponendum semper assistentia, & votum decisivum omnium deffinitorum sit necessarium: Mutuari autem nullatenus umquam possint.*

Refertur statutum probibens mutuationem, & illius initium.

Suppositio fit de eo, quod pecunia depositi, de qua facta fuit mutuatio, non est compræhensa, inter res inalienabiles ex iure communi.

Ex ipsomet relato statuto, & ex uniuersalissimo omnium Doctorum placitu est supponendum: Quod quævis alienatio facta ex pecuniis dicti depositi non cadit, nec continetur sub prohibitione Bullæ *ambitiosæ*, contra alienantes bona Ecclesiæ; nec sub aliqua alia prohibitione ex aliquo Decreto Pontificio, seu Sacræ Congregationis Concilii, prouueniente; non, quia dicta Bulla nec similia decreta non sint recepta in Hispania; ut asserit *Amostazz. de Causis piis lib. 5. de Eccles. edific. cap. 6. num. 62.* sed præcipuè, quia tam dicta Bulla quam decreta solum prohibent alienationem bonorum immobilium, seu capitalium, & mobilium prætiosorum, quæ seruando seruari possunt; de quorum genere, non est quælibet pecunia, nisi alias sit immixta cum perpetuitate aliqua, seu cum aliquo onere perpetuo: Sicuti est illa, quæ est imposita adlucrandos redditus annuales, vel in censibus, vel in locis montium, & similibus, seu pecunia illa, quæ est disposita, & destinata ad emendum aliquod capitale, seu immobile, propter satisfaciendum aliquod onus perpetuum; ut est illa, quæ datur in dote pro substentanda Moniali, & ex Decreto Sac. Cong. Concilii iussu Vrbani VIII. habitæ, etiam inter inalienabilia debet computari pecunia illa, quæ consignatur cum onere perpetuo Missarum. Pecunia vero illa, quæ prædictam perpetuitatem annexam, seu onus aliquod perpetuum non habet: sed prouenit ex aduentitiis eleemosinis, ex redditibus, aut ex fructibus rerum immobilium: aut quæ relinquitur ad sumptus quotidianos Monasterii, vel alicuius operis pii, & si in deposito aliquo reseruetur, inter res inalienabiles minimè computatur, est enim tantum transeunter

ter in deposito. Sic expressissimè Patres Salmaticenses; qui in *tom.4. De statu Religioso pag.106. §.2. num.33.* sic dicunt: *Pecunia, quæ est Collecta ex fructibus, vel redditibus rerum immobilium, aut ex voluntate Testatoris ad quotidianos sumptus Monasterii relicta, non est computanda, inter res inalienabiles, quia ibi (id est in deposito) solum reponitur interim non se offert necessitas illam consumendi.* Et pro ista doctrina citant Franciscum Leonem *in Thesauro for. Eccles. decis.* 160. Paulum, & alios, sed meo videri debent pro ista Sententia citari moralistæ & Canonistæ omnes; sic enim sentiunt *Card. de Luca lib.7. part.3. de alien. bon. Eccles. disc.1. num.19. Silua verb. alien. num.7. Quaranta in Summario Bull. verb. alienatio 25. Bonac. de alien. bon. Eccles. disp.2. quæst. unic. punct.2. num.5. Lezan. in Sum. tom.2. cap.19. num.59. Molin. de just. & iur. tom.2. disput.465. Boss. latissimè tract. 18. §. 7. n.371. Barbos. 3. part. allegat. 95. num.39.* Et ita fuit decisum in quadam *dec Venet. cor. Pamphilio die* 13. *Nouembris* 1602., *& Riccius in prax. Curiæ Neapol. cap.75. de alienat. rerum Ecclesiæ num.8. ex can. eiiciens dist.88. & ibidem Abbas ubi decisum est; Pecuniam inter mobilia, quæ seruando seruari non possunt computari, quia retenta nihil operatur; Et propterea fuit dictum, non requiri solemnitatem ad sui alienationem.*

Pecunia dicti depositi tantum congregatur ex eleemosinis, redditibus, & fructibus aliquorū Capitalium, quæ sunt sub proprietate ipsius depositi.

Cum ergo pecunia in prædicto nostro deposito seruata ex eleemosinis, fructibus, & redditibus radicuum, & Capitalium proveniat: & alias nullum onus perpetuum annexum habeat: Sitque tantum transeunter, seu pro interim in dicto deposito; ut constat euidentissimè ex ipsiusmet statuti verbis; hinc est, quod prædicta pecunia, nec ex se, nec ex alio jure sit inalienabilis. Et quia Capitulum Generale totum hoc ipsum cognouit, permisit administratoribus in eodemmet statuto, posse expendere dictas pecunias, illas censualiter imponere, & cum illis posse emere, præuio tamen omnium eorum voto, ex quo quidem probatur: vel quod ad alienationem dictarum pecuniarum (quamvis alias fuissent inalienabiles) nihil aliud exigitur, nisi votum Prouincialis, & Diffinitorum, ut potest defendi maximo cum fundamento, vel probatur, quod dicta pecunia fuit à Capitulo cognita, ut alienabilis in se: alias enim Capitulum non permitteret earum alienationem expendendo, emendo, & imponendo = Etiam earum alienabilitas patet ex eo, quod antedictum Statutum, solus Provincialis erat administrator, a quo pro suo libito multoties fuerunt alienatæ.

Vsque ad annum 1709. fuit Provinciali unicus administrator dicti depositi.

Mutuatio facta ex pecuniis dicti depositi fuit cum securitate, &

Et est aduertendum, quod alienatio mutuationis ex dictis pecuniis à nobis facta non fuit in damnum, imo fuit in notorium bene-

augmento ipsius depositi.

beneficium, & augmentum depositi: Quia istud abs dubio remansit cum omnimoda securitate, mediante securissima scriptura, cum qua habuit legitimam & executiuam actionem ad recuperandam dictam pecuniam, quod verè & propriè idem est ac ipsam pecuniā habere, ex lege enim 15. *ff. de regulis iuris, is, qui actionem habet ad rem recuperandam, ipsam rem habere videtur*. Et sic magis apparet, quod ista consignatio pecuniarum possit vocari accomodatum, quam mutuationis alienatio. Et etiam præter punctualem satisfactionem annualem, fuit auctum depositum in quantitate 4100. realium ex elemosinis acceptis, & ab ipsis accipientibus mutuum factis = Nec restat scrupulus, quod per dictam mutuationem adest notorium impedimentum, ut possit Prouincia uti dictis pecuniis in casu necessario prosequutionis Causæ Beatificationis ad quam sunt destinatæ. Quia in primis in nostro casu hoc non evenit, quia ut patet ex scripturis in processu autentice testimoniatis, primum mutuum fuit sub obligatione dandi satisfactionem intra duos annos, & de facto iam fuit satisfactum. Secundum debet annualiter satisfieri reddens in quolibet anno færè duo millia realiā: etsi quam brevissimè remanebit depositum omnimodè reintegratum, & cum augmento notorio = sed magis conuincenter ad nostrum intentum dicitur, quod propter istud motivum, seu impedimentum nulla potest excogitari prohibitio in statuto: Cum ipsummet statutum permittat Prouinciali, & Diffinitoribus dictas pecunias ad fructificandum censualiter imponere, ut ex sua litera constat. Et nulli est dubium, quod una ex conditionibus essentialibus Census, juxta dispositionem Pii V. est, quod à concedente, & dante pecunias in censum, non repetatur principale, usque dum illas accipiens redimere velit: Et sic certo certius magis impedita manet pecunia censualiter imposita, ad deseruiendum in prosecutione Causæ Beatificationis, quam quæ ad tempus brevissimum mutuatur; Et nihilominus potest juxta statutum imponi dicta pecunia in census, non obstante tali impedimento; ergo non propter hoc fuit prohibitum mutuare.

Possunt in vim statuti, Provincialis, & Diffinitores alienare dictam pecuniam expendendo, emendo, & imponendo.

Quo iàm supposito, solùm restat examinare, an mutuatio à nobis ex dictis pecunijs facta, fuerit nec nè delictum, aut fractio culpabilis Statuti mutuationem ex eis prohibentis? Vt ergò clariùs constet, & appareat omnibus, quod in prædicta mutuatione, talitèr vociferata, & acritèr punita, non fuit nec minimum delictum, neque pro foro interno, neque pro externo, est sciendum: quod tale Statutum, vt ex ipsius litera expressè constat, nec includit culpam aliquam, nec exprimit aliquam pœnam: & sic nec ad culpam, nec ad pœnam illius obseruan-

Statutum de non mutuando non obligat ad culpā nec explicat pœnam aliquam.

uantia obligat: non ad culpam, quia quamuis tale Statutum esset rigorosè Constitutio, (quod adhuc non est) ad culpam aliquam non obligaret: ità enim est decisum in nostris Constitutionibus *distinct.* 1. *cap.* 1. ibi = *Nè autèm regula, quam fecit amor in charitate, præiudicium vertatur, volumus, ac declaramus, quod Regula, & Constitutiones non obligant nos ad culpam &c.*, = nec etiam obligat ad pœnam, quia illa lex, aut legalis dispositio, quæ in sua litera, aut contextu non continet, nec explicat pœnam aliquam, non obligat ad pœnam. Vt cùm *D. Thom. sentiunt omnes in tract. de legib.*, vbi etiam dicitur, quod quando Statutum, seù legalis aliqua dispositio, non affert, nec inducit ex se obligationem, vel sub culpa, vel sub pœna, nequit dici verè lex, nec propriè rationem legis potest habere: & sic in contrarium faciens, nec legem frangit, nec delictum committit. Cùm ergò istius entitatis, & qualitatis sit dictum nostrum Statutum, in nulla culpa, nec pœna incurritur propter fractionem, aut contrauentionem illius.

Nostræ Constitutiones non obligant ad culpã aliquam.

Sed dato, & non concesso, quod tale Statutum esset rigorosè lex, & vt talis eius obseruantia rigorosam obligationem induceret, nihilominùs, vt videatur, quod in nostro casu, nec minimum delictum propter mutuationem factam interueniebat, etiam est sciendum: quod tale Statutum, vt in se est, & vt iacet, nunquàm fuit in obseruantia positum, vt demonstratur ex documento originali Parti communicato, præsentato in Ponentia, & posito in *nostro Summar. Num.* 5., in quo habetur, quod postquàm præfatum Statutum in Capitulo Generali emanauit, fuit explicatum à tota Communitate Conuentus S. Barbaræ Matritensis, asserente dictum Statutum non debere intelligi de mutuis cum debita securitate faciendis, sed tantùm de illis, quæ non habebant sufficientem securitatem; & hanc dixerunt esse, & fuisse mentem Capituli Generalis. Ista explicatio fuit præsentata Prouinciali, & Diffinitorio, & ab eis admissa, & approbata: in vigorẽ enim illius ipsi Prouinciales, & Deffinitores, qui tunc erant, consignarunt in mutuum prædicto Conuentui 6000. ducata sub die 7. Augusti anni 1712., dictaque explicatio Statuti fuit data, & subscripta à Patribus Roderico de S. Ioseph, Ioseph de Iesu Maria, & Paschasio de S. Ioseph; & admissa, & approbata à Prouinciali Ioanne à Natiuitate, qui omnes quatuor fuerunt Legislatores prædicti Statuti, erant enim Deffinitores pro nostra Castellana Prouincia, & vt tales suffragarunt in Capitulo Generali, in quo dictum Statutum habuit initium; quod totum constat ex suis subscriptionibus appositis, tàm in relato documento, quàm in Statutis impressis Capituli Generalis celebrati

Tale Statutum de non mutuando numquam fuit practicatum absolutè, & vt iacet.

Explicatio Statuti facta à plena Communitate Conuentus S. Barbaræ Matritensis refertur, & remonstratur.

Explicatio Statuti fuit subscripta à quatuor ex Deffinitoribus, qui anteà fuerant Legislatores ipsius met Statuti.

Subscriptio dictæ declarationis, & Statuti facta à tribus Diffinitoribus interinis, & Iudicibus in Processu contra nos efformato, & à Secretario, & Actore Fiscali eiusdē Processus, ostenditur.

brati in anno 1709. = Etiam præfatam interpretationem, seù explicationem Statuti subscripserunt tres Religiosi, qui nunc sunt Deffinitores pro interìm, & fuerunt Iudices in Processu contra nos circa mutuationem efformato, quales sunt Patres Rodericus à S. Ioseph, Petrus à S. Barbara, & Franciscus à S. Bonauentura; eamque subscripsit actualis Procurator Generalis Prouinciæ, qui fuit Secretarius dicti Processus; & subscripsit, & de omnibus fidem fecit, vt Pro-Secretarius dicti Conuentus Pater Franciscus à Spiritu Sancto, qui in dicto Processu fuit Actor Fiscalis, & Defensor depositi, & nunc est Romæ Procurator aduersarius.

Duo mutua facta à Prouinciali, & Deffinitoribus in vim dictæ explicationis Statuti, sub anno 1712., & 1713. manifestantur.

Præter istud mutuum relatum, & contentum in præcitato documento fuit posteà consignatum aliud mutuum eidem Conuentui ab eodem Prouinciali, & Deffinitorio sub die 4. Maij anni 1713., quod quidem mutuum proprius debet dici factum Domino Ioseph de Norongia, quia fuit aggregatum alteri mutuo eidem Domino præcedentèr facto in quantitate 8000. realium: Vt constat in Processu, in quo stat autentica copia, vt videri est in sua traductione in *fol.* 167. *à tergo vsque ad* 169.

Celebratio Capituli Prouincialis in anno 1713., in qua approbantur mutua facta in antecedenti triennio.

In anno 1713. sub die 13. Maij, & seqq. fuit celebratum Capitulum Prouinciale, in quo fuit electus in Prouincialem Castellæ P. Michael à S. Francisco, & in Deffinitores Patres Paschasius à S. Ioseph, Ioannes à Purificatione, Franciscus à S. Maria, & Ioannes ab Assumptione: qui quidem omnes, vt tales Deffinitores in dicto Capitulo nouitèr electi viderunt, iudicarunt, & approbarunt dicta mutua facta: Ipsis enim ex Constitutione, & praxi Iudicium formale dictæ administrationis depositi pertinebat = Posteà verò ipsimet Prouincialis, & Deffinitores in eodem anno suæ electionis sub die 14. Septembris dederunt etiam in mutuum Commendatori Conuentus S. Barbaræ Fratri Ioanni à S. Thoma 1500. realia ex dicto deposito: vt constat ex originali ab eis subscripto, & exprimitur in dicto Processu in *fol.* 226. *à tergo*. Et hic est notandum, quod vnus ex istis Deffinitoribus illa mutua in triennio antecedenti facta approbantibùs, & hoc præsens relatum mutuum facientibus, fuit Pater Franciscus à S. Maria, qui nunc est Prouincialis interinus, & qui stetit Iudex principalis in dicto Processu contra nos fulminato.

Aliud mutuum factum in hoc triennio.

Vnus ex Deffinitoribus mutuantibus, & approbantibus mutuare fuit Vicarius Prouincialis interinus, & Iudex principalis dicti Processus contra nos efformati.

Alia celebratio Capituli Prouincialis in anno 1716., in quo iudicatur, & approbatur mutuare.

Post hoc triennium elapsum, fuit celebratum Capitulum Prouinciale sub diebus 9. Maij, & seqq. in anno 1716., in quo Capitulo fuit electus Prouincialis P. Raymundus à Spiritu Sancto, & Deffinitores PP. Thomas à Conceptione, Antonius à S. Raymundo, Ioannes à S. Antonio, & Franciscus à S. Laurentio, in quo quidem Capitulo, sicut fit in omnibus, fuit

etiam

etiam visa, iudicata, & approbata ratio administrationis dicti depositi; & consequentèr fuit approbatum mutuum factum ab Antecessoribus.

Et cùm in anno immediato 1717. fuisset etiam celebratum Capitulum Generale, in quo fuit electus Vicarius Generalis P. Ioannes à S. Marco principalis noster aduersarius, & Iudex in secunda instantia dicti Processus; In quo Capitulo Generali nihil, nec contrà dictam explicationem Statuti, nec contra mutua in vim illius facta, fuit dictum, nec determinatum; quamuis fuit actum de tali Statuto, & consequentèr de modo suæ obseruantiæ: fuit enim confirmatum, & secundo stabilitum. Et sic in anno 1719. in mense Martij fuit data in mutuum per prædictos Prouincialem, & Deffinitores Domino Ioseph de Campo, & Oliua quantitas 8500. realium, vt constat in eodem dicto Processu in sua traductione *fol.*160. *vsque ad* 167.

Celebratio Capituli Generalis, in qua saltèm tacitè approbatur simile mutuare.

Aliud mutuum factum à Prouinciali, & Diffinitoribus nobis præcedentibus.

Post hæc omnia fuit celebratum infaustum Capitulum nostræ electionis sub die 6. Maij anni 1719., in quo Capitulo Prouinciali fuit Præsidens dictus P. V. Generalis à S. Marco; etiamque in dicto Capitulo (sicut in cœteris) fuit visa, iudicata, & absque aliquo scrupulo approbata ratio præfatę administrationis, & mutuum factum in dicto transcurso triennio.

Celebratio Capituli Prouincialis, in qua præsidente P.V. Generali nostro Aduersario, & Iudice in secunda instantia Processus, iudicatur, & approbatur præfatum mutuare.

Ex quibus omnibus constat euidentissimè, quod data interpretatio, seù intelligentia Statuti à tota plena Communitate Conuentus S. Barbaræ fuit approbata in tot istis relatis Capitulis tàm Generali, quàm Prouincialibus. Et etiam, quod tres Prouinciales, & duodecim Diffinitores, qui post emanationem Statuti nobis prædecesserunt, fecerunt ad minùs quinque mutua, (forsàn enim erunt & alia, de quibus non habeamus certam notitiam.) = Et habemus, quod dicta mutua à nostris Prædecessoribus facta fuerunt visa, iudicata, & approbata in Capitulis Prouincialibus, quibus ex Constitutione, & praxi spectat eorum formale iudicium. Habemus & etiam quod Capitulum Generale, quod certè omnia ista intellexit, & nouit, nihil in contrarium nec disposuit, nec dixit; & sic tacendo consensit, permisit, & saltèm tacitè approbauit.

Omnibus his scitis, & suppositis, parum est immorandum, vt nostra iustitia, & innocentia cognoscenda veniat, & ab omnibus fateatur: quia iam clarissimè videtur, præfatum statutum tantum sub data explicatione, & intelligentia esse, & fuisse in obseruantia, praxi, & consuetudine ab initio suæ originis, scientibus, consentientibus, & approbantibus, legis latoribus, Iudicibus, & Superioribus. Cum ergo *omnis actus prop-*

Demonstratur ex variis principiis legalibus, fuisse nobis licitū simile mutuare.

ter

ter scientiam, & patientiam Superiorum iustificetur ex leg. quis sit fugitiuus §. Sic puto, & ex leg. quod si nolit 31. §. *Quia assidua ff. de addictione* = Et etiam *Cum tolerantia et dissimulatio Iudicis, & Superioris circa aliquem actum aliàs prohibitum dispensationem inducat. Et Glos. singul. in cap. quia circa de Consanguin. & affinit.* Et etiam, *actus bona fide elicitus ad perfidiam non referatur. Ex text. in cap. de deposito* = *Nec aliàs, alienatio bona fide facta, sit prohibita ex decis. coram Pamph. sup. cit.* = Et similiter, *ad fundandam consuetudinem in iure, sufficiant duo actus iudicati, & approbati; & in legitimo Iudicio.* Vt ex communi DD. sensu asserit *Farinac. in prax. crimin. quæst.* 95. *numer.* 28. *& seqq.* Et taliter, quod, *qui post dictos actus, tali consuetudine ductus, operatur, omninò excusatur à dolo, à culpa, & ab omni pœna, tam ordinaria, quam extraordinaria.* Quia ex alio legali principio: *Omne quod ex consuetudine fit, iure factum esse dicitur ex instit. de iur. nat. §. Ex non scriptis.* Ex quibus primis principijs legalibus debet fateri ab omnibus, nos operatos fuisse maximo cum fundamento in iure, & sic ab omni Culpa esse prorsus immunes.

Demonstratur ex doctrina D. Thomæ fuisse nobis licitum mutuare ex approbata consuetudine.
* etsi Multitudo

Etiam nostra mutuatio iustificatur ex Doctrina Angelici Doctoris, qui in *P. 2æ. quæst.* 97. *ait: quod consuetudo, & habet vim legis, & legem abolet, & est legum interpretatrix.* Et ibidem insolutionem ad 3.* ~~Et similitudo~~ *non habeat liberam potestatem condendi sibi legem, vel legem à Superiori positam remouendi: tamen ipsa consuetudo in tali multitudine præualens obtinet vim legis, in quantum per eos toleratur, ad quos pertinet multitudini legem imponere. Ex hoc enim ipso videntur approbare, quod consuetudo introduxit.* Ex quo etiam habetur, quod sub data interpretatione statuti ipsamet consuetudo est ipsius statuti alia noua, & practica interpretatio, quæ sub dicta intelligentia legem nouam statuit, & sub alia intelligentia distincta, & contraria illud statutum abolet, & derogat: Et maximè cum prædictum statutum sit mere positiuum, & nullam habeat Connexionem, neque; implicitam, neqne explicitam, cum aliquo præcepto, nec naturali, nec diuino.

Ostenditur ex elegantissima doctrina Magistri Donati fuisse nobis licitum mutuare & nostris aduersariis non licuisse.

Fundatus in his principijs Sapientissimus Magister Donatus affert totam istam relatam Doctrinam in sua *prax. Regular. prim. par. quæst.* 18. *num.* 3. ibi = *Dicimus, quod semper primo primi violantes legem; non semper peccant in omni actu legi Contrario: Sed tantum in illis primis binis, vel trinis: quia binus, vel trinus actus legi latæ contrarius inducit consuetudinem, & eneruat legem, Principe tamen sciente, & consentiente. Ita Abb. in cap. de tregua, & Pac. & Glos. singul. cap. quia circa de consanguin. & affinit. dicit: quod tolerantia Principis in actu prohibi-*

10

to inducit dispensationem. Hinc, & fortius, (prosequitur) posteriores non seruantes legem, excusantur ab omni culpa, vel ratione consuetudinis, vel ratione præscriptionis ita Silua verb. lex quæst.6. in fine. Ex qua doctrina prælaudati Magistri non solum habemus fulcita, & iustificata omnia à Nobis patrata, & ostensa, esseq; omninò immunes ab omni imaginabili culpa, de qua tam scandalosè fuimus calumniati infamati, processati, incarcerati, & tot grauibus pœnis puniti, & sententiati; Sed etiam ex præfata doctrina habetur, quod si in mutuare fuit aliquod punibile delictum, tantum fuit ex parte illorum, qui in primis binis, vel trinis actibus mutua fecerunt; & qui etiam simile mutuare approbarunt, Canonizantes id, quod nunc fatentur esse delictum; In quo, abs dubio, maius peccatum interuenit, quam in ipso actuali mutuare cum formali Contrauentione statuti; Maius enim, & acriùs punibile peccatum committit, qui defendit ipsum peccare esse bonum, & licitum, quam qui de facto peccat. Cum ergo constet ex iam supra relatis, quod primo mutuantes, & qui Sanctificarunt sua explicatione, & approbatione ipsum mutuare fuissent nostri aduersarij: Qui & fuerunt Iudices, Secretarius, & Fiscalis in processu contra Nos fulminato circa dictam mutuationem, immò vt melius dicant, omnes in dicto processu fuerunt verè contra Nos actores; Quomodo ergo contra Nos, & in ipsorum fauorem inuocant auxilium legis, contra ipsam legem peccantes, ipsamque despicientes. Cum constet ex Axioma legali: *Quod legis auxilium frustra inuocat, qui committit in legem. Ex cap. Eccles. de exceptionibus, & ex cap. quia frustra de vsura, & non debet actori licere, quod Reo non permittitur. ff. de regulis iuris leg.*41. = Aut quomodo contra aliquod legale principium, ipsi in nobis reprobant, quod in se ipsis approbarunt: *nemo enim potest in altero reprobare, quod ipsemet approbauit. Et nemo potest mutare consilium suum in alterius iniuria, etiam ex ff. de regul. iur. leg.*75. Cur ergo in Nos tot lapides offensionis mittunt, cum ex eis nullus sit absque peccato, & cur talis tantaque iniustitia, tamque scandalosa aduersariorum ergà Nos impietas potest remanere, non solum impunita, verum & exaltata. In tota sua iuuentute, & in senectute sua tota, fatetur Propheta Regius, non vidisse iustum derelictum; & se inspexisse, dicit, impium solum superexaltatum transeunter, & transitoriè: *Iunior fui etenim senui, & non vidi iustum derelictum: Vidi impium superexaltatum, & transiui, & ecce non erat.* Cur ergo debet nunc ipsamet impietas permanenter exaltari, & innocens iustitia derelinqui? Speramus verò ab integerrima iustitia, & à pietate summa EE. PP. quod consilia magni Gregorij adaptantes: *Nec male audita*

David. Psalm. 36.

D. Gregorius in cap. 29. Iob. in expositione verb. Causam, quam nesciebam, diligentissimè inuestigabam = ait: ad proferendam sententiam numquam præcipites esse debe-

mus, nediscussa temerè iudicemus; nec quælibet malè audita moueant, nec passim dicta sine probatione credamus.

audita moueant, nec dicta sine probatione credantur. Et quod sic impietas transeunter exaltata, sit permanenter derelicta: Claraque innocentia, & iustitia non videatur amplius derelicta, sed in Eminentissima intelligentia appareat exaltata. sic speramus exoramus, & petimus pro iustitia pietate, & gratia &c.

Vmillimi, & Obsequentissimi Serui

Fr. Franciscus à S. Laurentio Ex-Prouincialis.
Fr. Didacus à SS. Trinitate Ex-Deffinitor.
Fr. Didacus ab Angelo Ex-Deffinitor.

Solutiones difficultatum in Sa[cra] Congregatione Episcoporum [et] Regularium propositarum co[ntra] RR.PP. Franciscum à S. La[uren]tio iam Prouincialem Prou[inciæ] Castellæ, & illius Deffinitores circa non præstitam obedie[ntiam] litteris Deputationis Iudicis [Ap]pellationis fact. à Rmo P. Vi[cario] Generali Ordinis Mercenari[orum] Discalceatorum, quam circ[a] tuum Pecuniarum specta[ntium ad] Beatificationem Seruæ De[i Ma]riannæ à Iesu.

Typis Zinghi, & Monaldi 17[..]